EPICEDIA
In
Immaturum qvidem, placidum tamen ac beatum obitum

VIRI
Amplissimi, prudentissimi, spectatissimi,

Dn. LAURENTII Timmen/

Inclitæ Reipubl: Sedinensis Camerarij qvondam uti fidelissimi, ita meritissimi,

Anno
1673. hîc Sedini nati,
1634. ante 6. hebdomadas morbo gravati,
8. Octobris h. 4. vespertina piè denati,
14. ejusdem solenni ritu in Æde Jacobina humati

Postremi honoris & condolentiæ ergo
fusa
ab
Amicis & Genero
mœstissimis.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.

DE majore tibi, TIMMI, gratabar honore,
Quem votis Patrum nuper adeptus eras
Sed respondebas: Utinam in statione priore
Mansissem: Vitæ mî breve restat iter.
Ecce viderê fuisse mihi tunc præscius hujus
Fati, qvod mecum civicus ordo gemit.
Namq; diu non es tali perfunctus honore,
Dum morbo fractus fata suprema subis,
Et citò non nimiùm provecto concidis ævo,
Qui plures annos vivere dignus eras.
Heus hominum inclemens domitrix Mors, parca tyranna,
Cur in laudatos sic furis atra viros?
Annon hoc sat erat tibi, jam duo membra senatus,
Atq; hujus gnatam te rapuisse viri?
Insuper hunc etiam immaturo funere mergis,
Cujus permagnam Curia sensit opem;
Qvi verbum Domini pietate fideq; professus,
Et studuit verâ mente timere DEum;
Qvi se consiliis digno tollebat honore;
Heu fatum durum flebile, triste, malum!
Plango urbis nostræ causâ, qvæ perdidit illum,
Qvi legum custos, præsidiumq; fuit.
Uxoris, nec non gnatorum nomine plango,
Quæ nunc orbata est Conjuge, qviq; patre.

Plango

Plango meâ causâ, qvi sum privatus Amico,
Patronoq́ bono, terq́ qvaterq́ gemo.
Fallor! an hoc ausu Mors se deceperit ipsa,
Hunc qvando terris prorsus abire jubet.
Rursus enim plaudo, vitam clausisse beatè
Hunc ægrum, in vera speq́ fideq́ DEI.
Nam miserè ac multos hîc distorqverier annos,
Nil nisi tortura est, mors nisi perpetua.
Hunc ergò ereptum plaudo morbisq́ malisq́,
Gratulor & superi regna beata poli.
Proderit & nobis, reminisci mortis, & altâ
Suspirare aulæ gaudia mente DEI.
Τȣ̃ θανάτȣ μελέτη, *jugis meditatio mortis*
Intrepidè, facit, ut opperiamur eam.
Tu verò Omnipotens solare hoc funere mœstos,
A patria prohibe pluraq́ damna DEUS.

Ex mœrenti & grato animo f.
Laurentius Eichstadius Med. D.
& Reipubl. patriæ Physicus ordinarius.

NOs super ardet adhuc, Urbis qvos mœnia nostræ
Cingunt egregiæ, fervor & ira DEI:
Mors etenim Proceres Ejus Patresq́; verendos
Nondum desistit surripuisse, dolor!
Qvorum Decessus creber; velut edocet usus;
Proh, Rebuspublicis omina ferre solet!
Qvot sint Illorum sublati tempore curtô,
Cor terebrans prohibet commemorare dolor!

Qvem cumulat, qvòd jam *Laurentius* ille *Timeus*
Invisis Fatis contumulatur humo!
Hunc novit *fidum* Respublica nostra *Patronum*,
Hunc sacer & cœtus novit *amâsse DEUM*:
Jam verò abripuit truculentia mortis *Eundem*
Ob commune nefas, qvô calet ira DEI!
Deploranda *viri* sunt tristia Fata peremti,
Sed deplorentur crimina nostra magis!
Vos verò, mœror qvos angit, sistite fletus:
Defunctus viret, ut *Laurus* in arce poli.

lugens lubensq; fecit
M. Martinus Bambamius P. L.
Cæs. & Sch. Sed. Sen. ConR.

APOSTROPHE DIRECTA
Ad Dn. Socerum Denatum,
ut &
Ad Socrum Superstitem.

S*Ex quater hebdomadæ, SOCER, haut sunt*, Filia, *TIMMI*,
O lacrumæ! CATHARINA Tibi *cum morte præivit.*
Cara Mihi *conjux fuit: at* Tibi Filia *cara.*
Filia *præcessit, sequeris* Socer, *ah dolor! olim*
Optasti id: voti jam compos factus, amabis
Gnatam *præmissam, velut illam vivus amasti.*
Gestio subsequier, quia Me *quoq; conjugis ardor*
Inde trahit: verùm hîc subsistere pagina sacra
Dictitat, & memorem Christianum *me decet esse.*
Ergo mea ô Socrus *lacrumis imponito finem;*
Jôva etenim nos sauciat, ut medicetur is idem
Nobis. Qui duplici percussit pectora nostra
Ictu, vulneribus supponet dulce malagma

Qui

Qui quoq; disjunxit nos, rursus junget Olympo
Vinculo amicitiæ, quod non leve gluten habebit.

Quam
Et ad *Socrus*, & *Proprium* luctum
mitigandum scribebat *Gener*

Christianus Tornovius, Archæo-Sedini
p. t. R.^a M.^tis Sv.^a Secretarius.

VIta quid est hominũ? nihil est, nisi mortis imago,
Testantur casus mœstus properataq; fata
Cathrinæ, nuper vitæ qvæ tempora clausit,
Verùm qvis novus heu successit sedibus hospes,
Qvi clarum rapuit Genitorem? *Mors truculenta*:
O dolor! ô lachrimæ! nonne inclementia dira?
Qvid verò hæc mors est, nihil est, placidus nisi somnus,
Qvi civem æthereo lætum transcribit Olympo.
Qvare non nimiô luctu vos discruciate:
Nam cum Cœlicolis dulcissima gaudia carpit.

Condolentiæ debitæ ergo f.

Johan. Philip. Mejer. Stet. P.

PSalmographus sanctus quàvis ex parte beatum
Dicit eum, glebas qui vertens pectore tristi,
In vitâ flœtûs committit semina sulcis.
Gaudia nam capiens, dulcissima farra secabit.
Mergitur, ut semen, terrâ mœrore repletus;
Verùm pòst gravidis spicis consurget onustus.
Quis jecisse neget, TIMMI, te grana doloris?

 Conspi-

Conspicies densas cum fænore lætus aristas,
Et supera nosces fœcundos patriæ agellos.

Balthasar Cansdorph Sed. Pom.

HEu vitæ sortem miseram! sors causa malorum,
Est adversa, dies fertq; refertq; malos.
O fata in rebus valdè contraria cunctis,
Nunqvamq; humanis exsaturata malis!
Verè ideo verum Parcarum nomen habetis;
Parcere qvod nulli PARCA maligna velit.
Cur DEUS, ut nos præcellant animalia bruta
Vult, dum nos annis exsuperare qveunt.
Justa autem brevis & mortis cum venerit hora,
Hoc nostrum fuerit, tunc qvoq;, more mori.

Piâ in defunctum affectione deprop.
GEORGIUS NEOMARCUS
Stet. Pom.

Defuncti Sermo
παραμυθητικός.

SIste precor nostra gemitus Respublica mortis;
Namq; tui curam qvi gerat, alter adest.
Ne qvæso ad tantos animum compellito luctus,
Ne lachrymis teneras qvæso rigato genas.
Non etenim amissus, sed sum præmissus ad astra
Ætheris, omnipotens qvæ regit ipse DEUS.
Non igitur lachrymis erit indulgere necesse;
Est funus fœnus nam mihi, morsq; salus.

Ita loq. fac. vol.
Ernestus Hogenholt.

Nonne

NOnne Molæ vita est similis frumenta terenti?
Qværis adhuc? verè est Vita Molæ similis.
Namq; uti continuè circùm molitura voluta,
Huc sese vertit moverat unde prius:
Sic qvivis, dum vix maternâ nascitur alvo,
Mox agitare rotas cogitur ac molere.
Mors donec tandem sistat motumq; rotamq;,
Et placidè dulcem ductitet ad reqviem.
Idcirco qvis non exultet pectore toto?
Cùm Mors hac infit voce: *Relinqve molam.*
Qvare vos reliqvi lacrymas inhibete profusas:
Qvi moritur, finem repperit ille mali.

Συμπαθείας ἕν: f,

SEBASTIANUS RHEVVENDUS Zechl March.

Plange Sedinensis celeberrima Curia: cives
Plangite, luctificos pangite in urbe sonos.
Plangite vos juvenes, veri date signa doloris,
Qvod Mors tot perimat corpora grata virûm.
Sic est: Non artes, non opes depellere summæ
Atrocis possunt spicula dira Necis.
Eheu! qvàm miserè mortales fallat inanis
Spes, hoc discamus nos qvoq; nunc miseri.
O Sors inconstans! ô mœror, amaror & error!
O alternatas hasce sub axe vices!
Pol nobis tristem casum fortuna minatur:
Pol vindex scelerum nos premit ira DEI.
Tolluntur justi: Qvicqvid videt utile terris,
Mordicus ante diem mors inimica rapit.
Occidit heu nostrum decus, occidit inclyta virtus!
Et dolor & lacrymæ pectora nostra premunt.

O fera

O fera Mors! cur ſic Matronam affligis honeſtam,
Conſortem thalami dum rapis atq; capis?
O, inqvam, fera Mors! cur nunc vis plangere prolem?
Dum pius atq; probus ductor & altor obit.
At qvia ſic placuit DOMINO, DOMINI iſta voluntas
Optima qvæ ſemper, jam qvoq; grata ſiet.
Tu qvoq; LAURENTI felix ô terq; qvaterq;,
Nunc reqviesce SOLO, nunc reqviesca POLO.

In verum amoris & doloris τεκμήριον poſuit
BENIAMIN BRUNO VVritz. March.

Conjux mæſtiſſima.
ad
DEFUNCTUM MARITUM.

SIccine diſcedis vitâ perchare marite,
Ac me rellinqvens, cœlica regna petis?
Sperabam tecum placidam decurrere vitam,
Aſt morbô oppreſſus, fata ſuprema ſubis.
Privabar nuper gnata, nunc conjuge privor;
Sic, qvi ſoletur, nullus amicus adeſt.
At ſiſtam lacrimas, finem imponamq; dolori,
Nam vitâ functus, vivit uterq; DEO.
Huic ego confidam ſoli, dum vixero, nam non
Deſertam linquet me bonus ille Pater.

συμπαθείας & condolentiæ atteſtandæ
causâ paucula hæc app.

Caſparus March. Pencuno-Pom.

FINIS.

